



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Appellationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

bus de testib. quem consule quomodo possit agi pro periurio ex tali iuramento. vide Marant. de ord. iudic. par. 2. art. 9.

## ARTICVLVS XV. De Appellationibus.

- 1 Appellationis in admissione apud Iudicem ad quem que seruanda.
- 2 Iudex à quo potest procedere in causa, si Iudex ad quem admittit appellationem iuris ordine non seruato.
- 3 Sententia definitiua ab interlocutoria quomodo differat.
- 4 A sententia carceris appellari potest quoad effectum deuolutiuum.
- 5 Iudex non terminans causam intra biennium quando amittat iurisdictionem.
- 6 Decretum S. Cong. Conc. de admittendis appellationibus.
- 7 Appellari non potest in notarijs.
- 8 Appellatio non concedenda in rebus parui momenti.
- 9 In appellatione quando sit exprimens causa.
- 10 Appellatio in quanto tempore interponenda.
- 11 Appellans Apostolos petere tenetur.
- 12 Iudex qualem terminum prefigere possit appellanti.
- 13 Appellatio extraiudicialis deuoluit causam ad superiorem.
- 14 Sequestrum quando sit concedendum.

**D**iffusam appellationum materiam de qua copiosissimi extant variorum tractatus, pro nostro more in ijs tantum qua circa eas recenter, & maxime post Conc. Trid. fuerant innouata breuiter attingemus.

Vnde primo cit. Conc. sess. 22. c. 7. de ref. ordinauit, vt ab omnibus Legatis Nuncijs S. Sedis Apost. Metropolitanis, alijsq; superioribus Iudicibus Const. Innoc. IV. relata in c. Romana. de appell. in 6. in admittendis appellationibus seruetur. In illa autem Const. ordinatur, vt Archiepiscopus appellationem ab interlocutoria, si in ea causa legitima non exprimitur non admittat: cum appellationem admittit, antequam cognoscatur partibus citatis num fuerit bene appel-

latum vel non, iudicem à quo ne inhibeat quo minus procedere possit in eadem causa, nisi obijciatur appellationem fuisse interpositam à definitiua in casibus iure prohibitis, tunc enim inhiere posset, ne sententia executioni mandetur, antequam de appellatione cognoscat: Itē ne vindicet sibi iurisdictionem in personas non appellantes, nec in appellantes, nisi quoad causam pro qua appellatur; Censuras in aliquem appellantium latas ne reuocet, nisi partibus vocatis, & appellante ab interlocutoria facta cognitione super re appellata, in reliquo remittat ad Iudicem à quo.

Quod si non seruarentur isti termini, videretur quod Iudex à quo non teneretur obedire, & inhibitione non obstante pro-



procedere ad vltiora. *ad not. gl. in eo. c. Romana. v. citent. & quia Conc. lo. cit. annullat ipso facto inhibitiones & processus aliter factos. vt etiam notat Quarã. v. Archiepiscopi auctoritas. n. 20.*

3. Idem Conc. Trid. *sess. 24. c. 20. de ref.* prohibet appellationes admitti, nisi à definitiua sententia, vel ab habente vim definitiuam, vel ab interlocutoria grauamẽ irreparabile continente. Quam autẽ sit differentia inter has sententias, tradit Host. *in sum. de re. iud. n. 2. Felin. in rub. eo. tit.* Nimirũ quod definitiua est quæ decidit negotium principale iniudiciũ deductũ, Vim definitiuam habens est, quæ definit vnum articulum causæ substantialẽ, vel etiam totũ negotium perimit, licet per indirectum, vt si quis repellatur ab agẽdo per aliquam exceptionem. Interlocutoria verò pura est, omnis alia pronuntiatio Iudicis super incidẽtib; ante definitiuam. Grauaamen demum irreparabile est omnis actus irretractabilis, & quo mandato executioni, pars grauata amplius non subleuaretur appellatione à definitiua, vel non sine difficultate & præiudicio subleuaretur, vt est carceratio, tortura, excõmunicatio, suspensio, interdictum, quia hæc trahunt secum executionem. *c. pastoralis. §. verum. de appell. vel earum denũciatio, præsertim si post denunciationem aliqua hæc censura fortior redderetur, vt si reseruaretur Papæ postquam fuerit denanciata. Abb. in c. sup. eo. 2. n. 3. de appell. Franch. ib. & in c. pastoralis. §. verum. ib. Duen. Reg. 52. vbi videri possunt 14. singulares casus in quib; ab interlocutoria appellare licet. Rebuff. in concor. tit. de friv. appell. Et quoad carcerationem declaratũ fuisse à S. Cong. Con. quæ declaratio refertur apud Quarã. lo. sup. cit. in addit. sub finem his verbis.*

An quod decreto Sacri Conc. Trid.

*sess. 13. c. 1. de ref. & alia sess. 24. c. 20. de ref.* dicitur de grauamine quod per appellationem à definitiua reparari non potest, intelligi possit & debeat de grauamine indebitæ incarcerationis.

S. D. N. audita relatione Congregationis Concilij, declarauit ita esse intelligẽdum, & ideo ab huiusmodi grauamine appellari posse, & ordinariũ teneri huic appellationi deferre, & teneri processum trãsferre ad Iudicem appellationis: interim tamen reo manente in carceribus, donec Iudex appellationis causa cognita aliud iusserit.

Idem Conc. *sess. 23. c. 1. de ref.* ordinat ne vlla appellatio vel inhibitiõ superioris, impedire possit ordinariũ quo minus suam sententiam circa residentiam curati latam exequatur.

*Sess. verò 13. c. 1. & sess. 24. c. 10. de ref.* similiter vult ne in causis visitationis, correctionis morũ & criminalibus exequutio sētẽtiæ appellatione suspẽdatur.

*Eadem sess. 13. cap. 2. de ref.* statuitur vt causæ ad Rom. Curiam per appellationem deuolutæ committantur in partib; Archiepiscopo, seu eius Vicario, siue ex causa alteri viciniõri Episcopo, seu eius Vicario & non inferiori.

*Sess. 25. c. 13. de Regul. decreuit,* vt causæ præcedentiæ remota omni appellatione terminentur.

*Eadem sess. c. 14. de ref.* ordinatur vt contra concubinarios Ordinariũ procedere possit, appellatione nõ obstante.

*Sess. 24. c. 20. de ref.* ordinatur vt omnes causæ saltem infra biennium à die motæ litis terminentur, nec auocari possint per appellationes antea nisi à definitiua interpositas; lapso autem biennio, quod partes possint adire Iudices superiores, & coram eis terminare causas incẽptas. Dummodo tamẽ steterit per Iudicem quominus terminauerit



causam aliquam intra biennium; secus enim si non steterit per ipsum, ut si non potuerit expedire tanto tempore processum ob qualitatem causæ, vel ob cavillationem partium, per notata apud Abb. in c. venerabilis. n. 10. de iudic. & ita censuisse S. Cong. Conc. testatur Quarant. lo. sup. cit. & Gen. in prax. c. 88. n. 5.

Circa eandem appellationum materiam, decrevit quoque S. Episcoporum Congregatio, ea quæ sequuntur in ann. 1600. relatata apud Quarant. & Genuen. locis cit. huiusmodi tenore verborum.

Ad tollendas ambiguitates & controversias iurisdictionales quæ inter appellationum & prioris instantiæ iudices non sine partium dispendio, cursusq; iustitiæ impedimento, & sæpè cum scandalo oriuntur, S. Congr. causis Episcoporum præposita facta prius relatione S. D. N. Clem. Papa VIII. ac de Sanctitatis suæ mandato viua vocis oraculo de super habito, in hunc qui sequitur modum, ab omnibus ad quos spectat in posterum seruari debere mandavit, & mandat.

Metropolitani, Archiepiscopi, Prælati, aut Patriarchæ, Suffraganeos eorūq; subditos non iudicent, nisi in casibus à iure expressis.

Iidem & alij quivis Superiores etiam Nunciij vel Legati de latere specificam facultatem maiorem non habentes causas in Curijs Ordinariorum vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad se non aduocent, nisi per viam legitimam appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur: tuncq; appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximi non possint.

Appellationes nunquam recipiantur

nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, constiterit appellationem à sententia definitiua vel habente vim definitiua, aut à grauamine quod per definitiuam reparari non possit in casibus à iure non prohibitis per legitimam personam, & intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

Dum causa coram inferioribus iudicibus pendent ante definitiuam sententiam vel vim definitiuam habentem, de grauamine illato superiores cognoscere non valeant, licet citra præiudicium cursus causarum se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare ut ipsis copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

Inhibitiones post appellationem ut præmittitur receptam, non concedantur nisi cum insertione tenoris sententiæ aut decreti definitiui, aut vim definitiuam habentis, vel damnum per definitiuam irreparabile continentis; alias inhibitiones & processus, & inde sequuta quacūq; sint ipso iure nulla, eisq; impunè non parere liceat.

Si appellans asserat sententiæ aut appellationis exemplū culpa iudicis, à quo vel actuarij haberi non posse, non ideo recipienda erit appellatio aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum ad quas pertinet iniungi poterit, ut soluta condigna mercede actorum exemplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur.

Caueat tamen iudex à quo, ne si verè appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquod in præiudicium appellantis attentet; & si per actum publicum



blicum aut per testium depositiones confiterit, acta denegari appellanti, iudex appellationis mandato iradēdi acta possit adijcere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

A sententia autem definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia gravis provisio, quamdiu appellans in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Ab executione decretorum Sac. Conc. Trid. aut Visitationis Apostolica, appellationes à Metropolitanis non recipiantur, neque etiam quando episcopi virtute eiusdem Sac. Concil. Trid. procedunt vti Sedi Apostolica Delegati in causis quæ sub eorum iurisdictione Ordinaria non comprehenduntur; salva tamen in hoc casu Legatorum & Nunciorum Apostolicorum auctoritate.

In causis verò Visitationis Ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum appellationes admittantur; nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum Visitator citata parte & adhibita causa cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit. Etiam quoad effectum suspensivum.

Cum à gravamine quod per definitivam reparari nequit, vt indebita incarcerationis, vel torture, aut excommunicationis etiam comminata appellatur, non nisi visis actis ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur.

Causa appellationis pendente, appellans in eodē quo reperitur carcere permanebit quoad iudex ad quem appella-

tum est, visis actis & causa cognita aliter decreverit. & tunc si à iudicis ad quem decreto vim definitivæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia processuum prima instantia ad iudicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa & suspicio incidat, quæ iudicialiter obijciatur, & tunc terminata causa, remittenda sunt ad ordinarium vt in suo archivio conserventur.

Censura Ecclesiastica contra appellantem prolata relaxari aut nulla declarari per Iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus, & causa cognita; tuncque si constiterit eam iustam esse ad iudicem qui excommunicavit appellans remittendus est, vt ab ipso iuxta Sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat: si verò iniustam esse clarè appareat, superior absolutionem impendat. Si autem dubitatur, honestius est vt ad excommunicatorem intra breuem aliquem competentem terminum eidem præfigendum absolendus remittatur, licet etiam superior hoc casu id ipsum per se præstare iure possit.

Absolutio ad cautelam non nisi parte citata & visis actis cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolata vel à iure si occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris concedenda erit, tuncque ad tempus breue cū recedentia, & præstita per excommunicatum cautione de stando iuri, & parendo



endo mandatis Ecclesie tantum: & si iuxta formam à iure prescriptam apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem prestare. Si verò ob contumaciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cauere de iudicio fisci coram excommunicatore quis teneatur, priusquàm ad cautelam absoluat. Roma in Sacra Congregatione die 16. Octobr. 1600.

Alex. Card. Florent.

Hieron. Agutius Secret.

7. Ultra præmissa autem circa appellationis materiam notari potest vtiliter, appellationem non esse concedendam in notorio manifesto ex ipsa facti euidencia, vt si quis fuerit conuictus & confessus, nec confessio fuerit excusata, cap. cum speciali. §. porro. de appell. Idè; tam in ciuilibus, quam in criminalibus. Abb. in S. cit. num. 5. Dec. in cap. at si Clerici. de iudic. & procedit hoc quandoque propter confessionem alterius, vt si hæres conueniatur ex confessione defuncti. Vestr. lib. 7. cap. 3. num. 17.

Ex eadem fere ratione non conceditur quoque appellatio cum quis obligauit se apud acta ipsius iudicis, vel obligatione Camerali, habetur enim pro manifesto. Vestr. loc. cit.

8. Seruat quoque Curia Rom. stylus vfitatus, vt non deferatur appellationi in rebus parui momenti, vt si pro summa non maiori decem ducatorum agatur. Vestr. loc. cit. & quæ dicenda sit causa parui momenti, videri potest Abb. in c. de appellationibus. num. 5. de appell. vbi dicit causam parui momenti esse, quando sumptus licis maiores sunt quam ipsa causa.

Notandum item quod in appellatione à definitiua vel definitiua vim habente nulla causa est exprimenda, quia ius ipsum concedit appellare, nisi in casu quo de iure est prohibita appellatio à definitiua, nam tum si appellatur, debet exprimi necessario causa. Abb. lo. sup. cit. in appellatione verò ab interlocutoria, necessario causa. exprimi debet, aliter esset appellatio nulla causa autem exprimitur, vt Iudex causa considerata possit si velit reuocare sententiam suam à qua appellatur, potest enim reuocare interlocutoriam. cap. cum cessante. de appell.

Appellans item si intra decem dies à prolatione sententiæ computandos non appellat in scripto, appellatio censetur deserta. cap. 1. de appell. in 6. Rot. decis. 385. in no. Maran. p. 6. de appell. num. 202. nisi grauamen esset permansens & habens causam continuam, vt est carceratio, vel nisi iusta excusaret ignorantia. Potest etiam appellari sine scripto, si fiat in continenti, & à sententia definitiua. Franch. in c. vt debitus. de appell. Achil. de Grass. decis. 228. alius. 2. de appell. Veral. decis. 36. p. 1. Alius autem terminus dierum triginta ad petendum Apostolos, non appellanti, sed Iudici concessus est à iure, vt interim deliberare possit an debeat deferre appellationi. Illo tamen durante debet appellans petere Apostolos ter seu vno contextu pro primo, secundo, & tertio. Clem. quamuis. de appell. seu etiam in ipsa schedula appellationis apponi potest nota petitionis Apostol. & si Iudex assignauerit terminum ad redeundum pro Apostolis, semel redire sufficeret pro petendo responso super Apostolis, & si non datur, non amplius redeundum. Vestr. loc. sup. cit. à num. 35. non petens autem Apostolos, censetur deserere appellationem.



pellationem, nam Apostoli sunt de substantia appellationis: *cap. ab eo. de appell. in 6. Rot. decis. 366. in no. vnde & signatura Iust. non censuit dare commissi-ones pendente termino petendi Apostolos; nisi in appellatione à definitiua. Rot. decis. 733. in antiq. in ea enim non multū curatur de Apostolis Iudicis, quia lex ipsa defert appellationi. Vestr. lo. cit. num. 37. in fin. vel semper præsumuntur reuerentiales de stylo Palatii, licet petens non redierit pro eis in termino assignato. Verat. decis. 157. p. 1. & decis. 115. p. 2. Et de Apostolorum quadruplici differentia videri potest. Abb. in cap. bona memoria. num. 9. de appell. ille autem est potissimus effectus distinctionis istius, quod Iudex à quo cum dat Apostolos reuerentiales vel remissorios seu defert appellationi, abdicat à se omnem iurisdictionem, & Iudex ad quem cognoscere potest de tota causa & non de solo articulo appellationis. c. cum appellationibus. de appell. in 6. Mohed. decis. 321. al. 10. de appell. nisi pars opponat. Rot. decis. 774. p. 1. diuers. si autem dederit Apostolos refutatorios cognito de appellatione Iudex ad quem remittere debet causam in reliquo ad Iudicem ad quem. cap. cum appellationibus cit. Gem. Ioan. Andr. 16.*

12. Tempus prosequendæ appellationis annus est præfixitus à iure, & ex causa biennium. cap. cum sit Romana. cap. personas de appell. Potest tamen Iudex à quo præfixere breuiorem terminum appellanti, intra quem appellationem suã prosequatur & doceat de prosecutione facta. c. ad aures lo. cit. sed non potest assignare terminū intra quē appellatio finiatur, quia esset imponere legem superiori. c. ex insinuatione. lo. cit. de appell. Abb. ibid. nu. 2. Franch. in c. personas cit.

Non solum autem per appellationem

ordinariam sed etiam per extraordinariam denoluitur causa ad superiorem Iudicem, de qua appellatione extraordinaria videri potest. cap. 1. de elect. in 6. & cap. cordi. c. concertationi. de appell. ib. in 6. Abb. in cap. bona memoria. à num. 7. eod. tit. vbi plures differentias inter hanc & ordinariã adducit, & quomodo sit facienda habetur. in c. vt circa. de elect. in 6. cit. & in Clem. causam. eod. tit. Franc. Archid. in cit. c. vt circa Card. Imo. Vt alia. in Clē. Cōst. de elect. Rot. decis. 468. p. 1. diuers. Quomodo etiã possit adiri superior per viam quærelæ, videri possunt DD. in c. 1. de sent. excom. in 6. gl. in c. ad reprimendã. v. suspendatur. de off. ord. Abb. ib. à n. 7. ad 13. Regulariter autē Archiepiscopus non potest adiri per viam quærelæ nisi in casu excommunicationis prolata, vt cit. c. 1. de sent. excom. in 6. & per DD. ib.

Notandum item quod Iudex ad quem in concernentibus ordinem procedendi in causis, tenere debet vsu sui tribunalis. Dec. in cap. Ecclesia. S. M. num. 44. de Constit. Iason. in l. cunctos populos. cap. de sum. Trin. & tenuisse Rot. in vna Roman. vinea. coram Augustino. in an. 1548. testatur Achil. de Grass. decis. 238. Quod ad merita autem causæ, & modum decidendi sequi debet vsu statutorū loci in quo lata est sententia gl. in cap. licet. canon. v. decreto. de elect. in 6. Innoc. in Rub. de consuet. Abb. in cap. quod Clericis. num. 27. de fo. comp. Felin. cit. cap. Ecclesia. S. M. num. 19. & in cap. super his. num. 13. de accusat. Rot. decis. 330. p. 2. diuers.

Finaliter sciendum quod quando appellatur à sententia contra possessorem 14. lata, sequestrari possunt res tam mobiles quã immobiles de quibus agitur si tenetur de distractione seu de dilapidatione. c. 2. de sequestr. iun. gl. v. sequestrari.



quæ colligit causas sequestrationis, & latius Abb. & alij ib. Specialiter autem in beneficialibus de sequestris ordinatum est, ut si à prima sententia in Rom. Curia lata contra detentorem, nisi sit triennalis possessor, appellatur, etiam Ordinarius possit sequestrare huiusmodi beneficium. Qui casus est singularis quo inferior potest se intromittere in causa ad Rom. Curiam deuoluta. ad hoc Clem. vn. de sequestr. Cassad. decis. 5.

num. 3. ea. tit. si nimirum feratur sententia contra professorem, ut pro eo qui petit sequestrum: si autem pro possessore fuerit sententiatum, deneganda esset sequestratio. gl. in cit. Clem. vn. v. contra possessorem. Vestr. lo. sup. cit. cap. 2. num. 6. Si etiam iudex Rom. Curie seu superior præuenerit in decernendo sequestro, inferior amplius illud decernere non potest. Marant. par. 6. de appell. num. 177.

## DE IURISDICTIONE EPISCO-

### PI VOLUNTARIA

### CAPVT V.

### De Collatione beneficiorum.

**V**Ltimo demum loco consideranda nobis venit potestas Episcopi iurisdictionis voluntariæ, ad quam reducemus bona, fructus, prouentus, qui Episcopo ratione officij & dignitatis debentur, ab eoq; disponi possunt. Et primo quidem de potestate ipsius in beneficijs conferendis videbimus, hæc enim est iurisdictionis voluntariæ. vnde gl. in c. nouit. verb. terminos. de potest. leg. recenset beneficiorum collationem inter ea que sunt voluntariæ iurisdictionis, & quæ extra proprium territorium Episcopus seu Ordinarius exercere potest. hoc idem docet Innoc. in c. quia diuersitatem. de concess. præb. in fine. Abb. in c. cit. nouit. de po-

test. leg. & in c. accepta. n. 8. de restit. spol. Rot. in antiquiorib. per Bisign. de off. Vic. decis. 5. Selua. in tract. de benef. p. 3. q. 40. Couar. lib. 5. var. res. c. 20. nu. 8. Rebuff. in prax. benef. de form. Vic. Archiep. n. 227. Et eadem collatio beneficiorum inter fructus Episcopo debitos computatur. c. his qui. c. cum olim. un. gl. v. capitulo. de maior. & obed. Abb. in c. 2. nu. 6. ne sed. vac. Mohed. decis. 310. alias 29. de præb. nu. 2. Staphyl. de expectat. verb. intra formas. n. 50. Vnde etiam hæc potestas in beneficijs conferendis censetur singularis, nec intelligitur concessa concessione generali, nisi expressè concedatur. c. fin. de off. Vic. in 6. Paris. de resig. lib. 7. q. 21. num. 8.

## ARTICVLVS I.

### Quæ beneficia conferre non possit Episcopus.

- 1 **E**piscopus habet fundatam intentionem super collatione beneficiorum sua Diocesis.
- 2 **P**apa reservare sibi potest beneficiorum collationem.
- 3 **R**eservationes regularum Canc. expirant morte Pape.